



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Ad Acidulam Fontis Melliti, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

AD ACIDULAM
FONTIS MELLITI,*Juxta Smectham, pagum Diœcesis Paderbornensis.***N**YMPHA decus silvæ, pulcherrima Nympha
sorores

Inter Hamadryadas, Naiadasque deas:

Quis te præsentis sparsit medicamine? quis te
Melliti fontis nomen habere dedit?An, magis ut saperent, acidas tibi dulciter
undas

Ambrosiæ succis diluit ipsa Salus?

An, velut Hyblæis e floribus omnia libat

Fingendi studio sedula mellis apis;

Sic, dum nunc ferri venas, nunc æris oberras,

Vim trahit inde tuæ, qua fluit, humor aquæ?

Quicquid id est: stomachi fastidia vincis inertis,

Nec finis accensum bile tumere jecur;

Et quæ præterea versu comprehendere non est,

Sæpius innumeris pota medere malis.

Salve Naturæ mulsum, gratissima morbis

Sospita, languentum nectar, inemta salus.

Quod mihi si bilem solita virtute coërces,

Quæ jecori, nimio dum furit igne, nocet:

Carminibus nostris decorataque marmore, no-
men

Grande salutiferas inter habebis aquas.

AD